



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per
Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum,
quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia
Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 308. Fornicatio simplex an & quo jure prohibita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

Barb. in cit. c. Clerici. Pirh. n. 72. Wiestn. h. t. n. 80. in fine. Secundò: non nisi ob Sodomiam perfectam. Azor. q. 4. Suar. Pirh. LL. cit. Tertiò: non nisi ob Sodomiam frequentatam, seu sæpius exercitam, prout colligitur ex v. exercentes, posito in Bulla, quo nomine veniunt, qui aliquid faciunt, non semel aut iterum, sed sæpe, & quasi ex consuetudine. Azor. l. c. q. 2. Suar. l. c. n. 21. Quaranta. limit. 4. Pirh. Wiestn. LL. cit. & alii citati à Barb. in cit. c. Clerici. n. 7. & 8. Quartò: non nisi ob Sodomiam notoriam. Azor. q. 6. Pirh. l. c.

Quest. 306. Quid sit bestialitas, & quæ ejus pœnæ?

Resp. Bestialitas, crimen affine Sodomie, est commixtio carnalis hominis cum bruto, est unius speciei, licet animalia, cum quibus committitur, sint diversæ speciei physicæ; quia continet rationem ejusdem turpitudinis. Punitur sicut & olim, morte. Exodi 22. v. 19. c. mulier. 15. q. 1. Clar. §. fornicatio. n. 27. Menoch. cit. cas. 286. n. 31. Farin. l. c. q. 148. n. 46. qui etiam testatur, bestiam simul cum homine reo comburi.

Quest. 307. Quid & quotuplex sit fornicatio?

Resp. Fornicatio sic dicta à fornicibus, id est, locis abditis & obscuris, sub quibus scorta seu meretrices quondam Romæ habitare & prostare solebant. cit. Isidor. L. 10. orig. latè accepta significat quemcunque concubitum extra legitimum matrimonium. Accepta propriè & strictè, prout distincta ab aliis luxuriæ speciebus est concubitus soluti cum soluta, diciturque fornicatio simplex; soluti autem dicuntur, qui liberi sunt ab omni vinculo, puta, conjugii, consanguinitatis, affinitatis, sacri Ordinis, Religionis seu voti, seu illi, qui inter se liberè matrimonium contrahere possunt, Azor. cit. L. 3. c. 4. in princ. Menoch. l. c. cas. 289. n. 1. & 2. Farin. pr. crim. p. 5. q. 137. n. 6. & 7. Azor. l. c. & si committatur sæpius cum eadem, dicitur concubinatus.

Quest. 308. Fornicatio simplex an & quo jure prohibita?

1. Resp. Primò: Fornicationem etiam simplicem esse mortaliter peccaminosam, Orthodoxorum nemo in dubium vocat, cujus contrarium tanquam erroneum & hereticum reprobatur per Concilium Viennense, relatum in Clem. ad nostram. de heret. Gl. ibid. v. non est. Nav. man. c. 16. in pr. Farin. l. c. n. 13. Clar. §. fornicatio. n. 1. dicens esse sententiam omnium TT. adeoque nulli impunè permittitur, sed nec permitti potest. c. audite. dist. 34. c. fornicari. dist.

2. Resp. Secundò: Esse jure divino positivo prohibitam, nullus quoque Orthodoxorum inficiatur, constatque satis ex Epistolis Doctoris gentium. 1. ad Thessalon. c. 4. v. 3. ubi: *Voluntas DEI est Sanctificatio vestra, ut abstinentes vos à fornicatione.* Ad Ephes. c. 5. v. 13. ubi: *Scitote, quod omnis fornicator & immundus non habet hereditatem in Regno DEI.* 1. ad Corinth. c. 6. v. 18. ubi: Fornicationem accensuit, & quidem primo loco operibus excludentibus à Regno DEI. Esse quoque prohibitam jure naturali; quia est contrabonam educationem & institutionem proles nascituræ, & hinc secundum se & intrinsecè malam & peccatum mortale, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 2.

in corp. & tenet Azor. cit. c. 4. not. 4. & teste Pirh. n. 74. TT. communiter, quibus, ut ait Wiestn. h. t. n. 6. operosum omnino, sed vanum patrociniū præstitit Caramuel. Tom. 1. Fundam. Theol. 12. n. 541. dum Decreto Innoc. XI. autoritate publicato, 2. Martii, 1679. inter alias scandalosas & perniciosas in praxi propositiones reprobata fuit hæc: *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdita, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur &c.* Neque his obstat, quod DEUS Oleæ c. 1. v. 2. Prophetæ præcipiat, ut sumat uxorem fornicariam, & ex ea faciat sibi filios fornicationum; nam sensus hujus præcepti est, ut mulierem fornicariam, id est, fornicationibus deditam, non in concubinam, sed in uxorem ducat, & ex ea generet filios fornicationum, sic dictos, non quod nascituri ex fornicatione, sed quod secuturi essent exemplum matris, in fornicationes proclives, ita cum aliis interpretibus Scripturæ Cornel. à Lapide in c. 1. & 2. Oleæ apud Wiestn. h. t. n. 8. qui etiam aliam adjicit rationem, cur, tamen si fornicatio aliàs jure naturali seu intrinsecè mala sit, possit tamen hic & nunc concedi à DEO & reddi licita, nimirum quod usus ille scemine corporis sit intrinsecè malus tunc tantum, quando fit invito absoluto corporis Domino, qui est DEUS, adeoque, dum is ad illum dat facultatem, sit licitus. Neque obstat, quod mala proles ex fornicatione nascituræ educatio (quam pro ratione attulimus) singulari sæpe parentum providentiâ ac curâ impediatur, cum naturalis illius inhonestas non fundetur in eo, quod illegitimò concubitu procreata proles prava educatio semper sequatur, sed in pravæ educationis periculo generali, quod periculum Reipublicæ inutile & damnosum. Plures insuper rationes pro intrinsecè fornicationis malitia affert Wiestn. h. t. n. 9. & seq. quæ omnes, num efficaciter id evincant, legentibus illum examinandum relinquo. Denique jure humano quoque, ac præsertim ecclesiastico, fornicationem prohiberi, vel ex pœnis variis, constitutis per Leges & Canones, satis constat.

Quest. 309. Quenam ergo sint pœnæ statutæ fornicantibus?

Resp. Tametsi per Leges Imperiales fornicatio non puniatur, hodie tamen in Provinciis, ut ait Wiestn. n. 12. honestatis laude florentibus, ac præsertim in Germania à Magistratu seculari committentes fornicationem simplicem Laici pœnis variis arbitrariis juxta cujusque loci statuta, vel receptam consuetudinem plecti solent, teste Haunoldo Tom. 6. de 7. & 7. tr. 2. n. 199. In foro etiam ecclesiastico Clericorum in Sacris constitutorum, præcipuè Sacerdotum fornicantium pœna est arbitraria, pro locorum ac circumstantiarum varietate mitior vel severior, puta incarceration, multa pecuniaria, suspensio ab officio, & si delictum notorium, valde scandalosum, incorrigibile, depositio, & beneficiorum privatio. Abb. in c. §. Clerici. de Judic. n. 35. Farin. l. c. q. 137. n. 16. 21. & 24. Menoch. de Arb. cas. 289. n. 10. & 11. Pirh. h. t. n. 75.

Quest. 310. Quid sit concubinatus, quo jure prohibitus, quæ ejus pœnæ?

1. Resp. Primò: Concubinatus jure civili. L. 1. §. 1. ff. de Concubin. dicitur, dum quis mulierem solutam domi suæ loco uxoris retinet, & cum ea carnale commercium exercet. Jure verò Cano.